

hæc mala intolerabilia, ac desperata, tum & corporalis secessio fieri potest D.J. A. Osiand. in Syst. Theol. Exerc. XI. de schism. pag. 213. quando sc. vix ac ne vix quidem tutis esse licet DEO in conscientiæ puritate servire volentibus B. D. Lochn. d.l. §. 35. qui & provocat ad Act. cap. XIX. ubi Paulus Ephesi dicitur Synagogam, ubi pessime habebatur, cum suis reliquisse, accessu in scholam Tyranni Doctoris facto. Qualis separatio non est schisma activum, nec ab Ecclesia, sed à maligno cœtu, passivum vero est. Quomodo & Nostrates secedendo à Papatu aut faſtione papali (non Ecclesiæ Catholice ab unitate Gerh. L. Comm. Theol. c. de Eccl. t. 338;) vere expulsi sunt ex Pontificiorum Coetu violentis edictis, excommunicationibus, ac nova acerbitate, quæ in Ecclesia non fuerat usitata, ut loquitur B. D. Lochnerus d.l. §. 45.

§. 3. Atque sic separatismus dicit separationem ab Ecclesia, qua ordinarium ministerium vel contemnitur ac negligitur, vel publicus Dei cultus aut usus sacramentorum publicus mutantur in privatos, ita quidem, ut quisque sibi præter illum modum, quem Ecclesia habet circa sacra communem, privatim velit prospicere. Qualis factio quidem dupli modo contra Ecclesiam institui potest, primum in fide, deinde in facto. Ubi usus obtinuit, ut prior dicta sit Hæresis: Posterior vero κατ' εξοχὴν σχίσμα. Ita enim D. D. Gerh. d.l. f. 257. Antiquitas Hæreticos à Schismaticis distinxit, non ex alia causa, quam quod Hæresis errando fundamentum fidei & salutis evanescat. Schisma vero in illis delinqvat, quæ fundamentum integrum circumstant: In quæ posteriora D. J. A., Osiander d. l. p. 209. ita: Fic illud, ubi Negotium Religionis vel dogma aliquod Christianæ Religionis, quod remotius fidem attinet, vel quod sacramenta divinitus instituta aliquatenus tangit, vel quod Ceremonias, cultum externum & disciplinam Eccl. spectat Brevibus: B. D. D. Schomerus in Exeg. h. l. p. 98. ita: Hæresis & σχίσμα συνωνύμως hic dicuntur & utrumque factionem denotat: Unde & Hæreticus & Schismaticus ex indole Græci sermonis idem est, qui factiosus, qui concordiam non servat: Usu autem ecclesiastico apud Patres distinguuntur, ut Hæreticus dicitur, qui ob novum dogma contra Ecclesiam factiosus est; Schismaticus, qui ob factum aliquod aliud contra Ecclesiam factiosus est: secutus forte Augustinum, qui de fide & Symbolo c. 10. inquit; Hæretici

de